numerabilis. Permitte ergo supradictum rusticum suas transferre oues, et quam incepi fabulam ad finem perducam. — Fabulator etenim hoc modo regem longas audire fabulas gestientem pacificauit. Quodsi amplius me predictis eciam subtexere alia compuleris, iam dicti presidio exempli me deliberare conabor. Discipulus: Dictum est in antiquis prouerbiis quod non eadem compunccione dolet qui pro muneribus lacrimatur et qui sui dolore corporis grauatur. Neque regem adeo dilexit fabulator sicut et tu me diligis. Voluit enim fabulis suis eum aliquantum seducere, tu uero me discipulum minime. Vnde precor ne iam promotam narracionem modo uelis subducere; sed prelibata mulierum ingenia diligenter pande. Magister:

Exempl. XIII: De canicula lacrimante. Dictum est quod quidam nobilis progenie haberet uxorem castam nimium et formosam. Contigit forte quod oracionis studio Romam uellet adire, sed alium custodem uxori sue nisi semetipsam noluit deputare, illius castis moribus satis confisus et probitatis honore. Hic autem parato comitatu abiit. Vxor uero caste uiuendo et in omnibus prudenter agens remansit. Accidit tandem quod necessitate compulsa a domo sua propria suam conuentura uicinam egrederetur. Que peracto negocio ad propria remeauit. Quam iuuenis aspectam ardenti amore diligere cepit et plurimos ad eam direxit nuncios, cupiens ab illa qua tantum ardebat amari. Quibus contemptis eum penitus spreuit. Iuuenis cum se sic contemptum sentiret, dolens adeo efficitur ut nimio infirmitatis honere grauaretur. Sepius tamen illuc ibat quo dominam egressam uiderat, desiderans eam conuenire; sed nequaquam preualuit efficere. Cui pre dolore lacrimanti fit obuia anus religionis habitu decorata, querens quenam esset causa que eum sic dolore compelleret. Sed iuuenis que in sua uersabantur consciencia minime detegere uolebat. Ad quem anus: Quanto quis infirmitatem suam medico reuelare distulerit, tanto grauiori morbo attritus fuerit. Quo audito narrauit ei ex ordine que sibi acciderant et suum propalauit secretum. Cui anus: De his que iam dixisti dei auxilio remedium inueniam. Et eo relicto ad propria remeauit. Et caniculam quam apud

20 commeatu.

se habebat duobus diebus ieiunare coegit et die tercio panem sinapi confectum ieiunanti largita est. Que dum gustaret, pre amaritudine oculi eius lacrimari ceperunt. Post hec uero anus illa ad domum pudice femine perrexit quam iuuenis predictus adeo adamauit. Que honorifice pro magna religionis specie ab eo suscepta est. Hanc autem sua sequebatur canicula. Cumque uidisset mulier illa caniculam lacrimantem, quesiuit quid haberet et quare lacrimaretur. Anus ad hec: Cara amica, ne queras quid sit, quia adeo magnus dolor est quod nequeo dicere. Mulier uero magis instigabat ut diceret. Cui anus: Hec quam conspicis canicula mea erat filia, casta nimis et decora. Quam iuuenis adamauit quidam; sed adeo casta erat ut eum omnino sperneret et eius amorem respueret. Vnde dolens adeo efficitur ut magna egritudine stringeretur: pro qua culpa miserabiliter hec supradicta nata mea in caniculam mutata est. His dictis pre nimio dolore erupit in lacrimas anus illa. Ad hec femina: Quid ego, cara domina, similis peccati conscia, quid, inquam, factura sum? Me etenim dilexit iuuenis quidam, sed castitatis amore eum contempsi, et simili modo ei contigit. Cui anus: Laudo tibi, cara amica, ut quam cicius poteris huius misereris et quod querit facias, ne et tu simili modo in canem muteris. Si enim scirem inter iuuenem predictum et filiam meam amorem, nunquam mea mutaretur filia. Cui ait mulier casta: Obsecro ut consilium huius rei utile dicas, ne propria forma priuata efficiar canicula. Anus: Libenter pro dei amore et anime remedio mee et quia miseret me tui hunc supradictum iuuenem queram, et si quo inueniri poterit, ad te reducam. Cui gracias egit mulier. Et sic anus artificiosa dictis fidem prebuit, et quem promisit reduxit iuuenem et sic eos associauit.

Discipulus ait magistro: Nunquam audiui tam mirabile quid, et hoc puto fieri arte diaboli. Magister: Ne dubites! Discipulus: Spero quod siquis homo tam sapiens erit ut semper timeat se posse decipi arte mulieris, forsitan se ab illius ingenio custodire ualebit. Magister: Audiui de quodam homine qui multum laborauit ut suam custodiret uxorem, sed nichil profuit. Discipulus: Magister, dic michi, quid fecit, ut melius sciam si quam duxero illam custodire. Magister:

Exempl. XIV: De puteo. Quidam iuuenis fuit, qui totam intencionem suam et totum sensum suum et adhuc totum tempus suum ad hoc misit ut sciret omnimodam artem mulieris, et hoc facto uoluit ducere uxorem. Sed primitus perrexit querere consilium et sapienciorem illius regionis adiit hominem et qualiter custodire posset quam ducere uolebat quesiuit uxorem. Sapiens uero hoc audiens dedit sibi consilium quod construeret domum aliis parietibus lapideis poneretque intus mulierem daretque sibi satis ad comedendum et non superflua indumenta, faceretque ita domum quod non esset in ea nisi solum hostium solaque fenestra per quam uideret, et tali altitudine et tali composicione per quam nemo intrare posset uel exire. Iuuenis uero audito consilio sapientis, sicuti ei iusserat egit. Mane uero quando iuuenis de domo exibat, hostium domus firmabat, et similiter quando intrabat; quando autem dormiebat, sub capite suo claues domus abscondebat. Hoc autem longo tempore egit. Quadam uero die dum iuuenis ad forum iret, mulier sua, ut erat solita facere, ascendit fenestram et euntes et regredientes intente aspexit. Hec una die cum ad fenestram staret, uidit quendam iuuenem formosum corpore atque facie. Quo uiso statim illius amore succensa fuit. Mulier hec amore iuuenis succensa et ut supradictum est custodita cepit cogitare quomodo et qua arte posset loqui cum adamato iuuene. At ipsa plena ingenio ac dolositatis arte cogitauit quod claues domini sui furaretur dum dormiret. Et ita egit. Hec uero assueta erat dominum suum unaquaque nocte uino inebriare, ut securius ad amicum suum posset exire et suam uoluntatem explere. Dominus uero illius philosophicis iam edoctus monitis sine dolo nullos esse mulicbres actus cepit excogitare quid sua coniunx strueret frequenti et cotidiana potacione. Quod ut sub oculo poneret, se finxit ebrium esse. Cuius rei mulier inscia de lecto nocte consurgens perrexit ad hostium domus et aperto hostio exiuit ad amicum. Vir autem suus in silencio noctis suauiter consurgens uenit ad hostium et apertum clausit et firmauit et fenestram ascendit stetitque ibi donec in camisia sua mulierem suam nudam reuertentem uidit. Que domum re-

13 et tali composicione *fehlt.*

diens hostium clausum inuenit; unde animo multum condoluit et tamen hostium pulsauit. Vir mulierem suam audiens et uidens ac si nesciret interrogauit quis esset. At ipsa culpe ueniam petens et nunquam amplius se hoc facturam promittens nichil profecit, sed uir iratus ait quod eam intrare non permitteret, sed esse suum suis parentibus ostenderet. At ipsa magis ac magis clamans dixit quod nisi hostium domus recluderet, in puteum qui iuxta domum erat saliret et ita uitam finiret, sicque de morte sua amicis et propinquis racionem reddere deceret. Spretis minis dominus sue mulieris intrare non permisit. Mulier uero plena arte et calliditate sumpsit lapidem, quem proiecit in puteum hac intencione ut uir suus audito sonitu lapidis in puteum ruentis putaret sese in puteum cecidisse. Et hoc peracto mulier post puteum se abscondit. Vir simplex atque insipiens audito sonitu lapidis in puteum ruentis mox et absque mora de domo egrediens celeri cursu ad puteum uenit, putans uerum esse quod mulierem audisset cecidisse. Mulier uero uidens hostium domus apertum et non oblita sue artis intrauit domum firmatoque hostio ascendit fenestram. Ille autem uidens se esse deceptum inquit: O mulier fallax et plena arte diaboli, permitte me intrare et quicquid michi forisfecisti me condonaturum tibi crede! At illa eum increpans introitumque domus omnimodo facto atque sacramento denegans ait: O seductor, tuum esse atque tuum facinus parentibus tuis ostendam, quia unaquaque nocte es solitus ita furtim a me exire et meretrices adire. Et ita egit. Parentes uero hec audientes atque uerum esse existimantes increpauerunt eum. Et ita mulier illa liberata arte sua flagicium quod meruerat in uirum retrusit. Cui nichil profuit, immo obfuit mulierem custodisse: nam iste eciam accidit cumulus miserie quod existimacione plurimorum quod paciebatur meruisse crederetur. Vnde quidem bonis compluribus pulsus, dignitatibus exutus, existimacione fedatus ob uxoris maliloquium incestitatis tulit supplicium.

De bona femina. Discipulus: Nemo est qui se a mulieris ingenio custodire possit, nisi quem deus custodierit, et hec talis narracio, ne ducam uxorem,

1 *Augensprung hinter* hostium *(wie in den meisten Hss.).*

est magna dehortacio. Magister: Non debes credere omnes mulieres esse tales, quoniam magna castitas atque magna bonitas in multis reperitur mulieribus, et scias in bona muliere bonam societatem reperiri posse, bonaque mulier fidelis custos est et bona domus. Salomon in fine libri prouerbiorum suorum composuit viginti duos versus de laude atque bonitate mulieris bonae. Discipulus ad hec: Bene me confortasti! Sed audisti tamen aliquam mulierem que sui sensus ingenium niteretur mittere in bonum? Magister: Audiui. Discipulus: Refer michi de illa, quia uidetur michi res noua. Magister:

Exempl. XV: De decem cofris. Dictum fuit michi quod quidam Hispanus perrexit Mech, et dum ibat peruenit in Egyptum. Qui deserta terre intrare nolens et transire cogitauit quod pecuniam suam in Egypto dimitteret. Et antequam dimittere uoluisset, interrogauit si aliquis fidelis homo esset in illa regione cui posset pecuniam suam committere. Et ostenderunt ei antiquum hominem nominatum probitate fidelitatis. Cui de suo mille talenta commisit. Deinde perrexit factoque itinere ad illum rediit cui pecuniam commisit, et quod commiserat ab eo quesiuit. At ille plenus nequicia illum nunquam antea se uidisse dicebat. Ille uero sic deceptus perrexit ad probos homines regionis illius, et quomodo tractauisset eum homo ille cui pecuniam commiserat, eis retulit. Vicini uero illius de eo talia audientes credere noluerunt, sed nichil hoc esse dixerunt. Sed qui pecuniam perdiderat unaquaque die ad domum illius qui retinebat iniuste pecuniam ibat blandisque precibus eum deprecabatur ut pecuniam redderet. Quod deceptor audiens increpauit eum dicens ne amplius tale quid de eo diceret uel ad eum ueniret; quod si faceret, penas ex merito subiret. Auditis minis illius qui eum deceperat tristis cepit redire. Et in redeundo obuiauit cuidam uetule pannis heremitalibus indute. Hec autem baculo suo fragiles artus sustentabat et per uiam lapides laudando deum ne transeuncium pes lederetur locabat. Que uidens hominem flentem — cognouit enim eum esse extraneum — commota pietate in angiportum uocauit et quid ei accidisset interrogauit. At ille ordine narrauit. Femina uero auditis uerbis illius hominis inquit: Amice, si uera sunt

que retulisti, feram tibi inde auxilium. Et ille: Quomodo potes hoc facere, ancilla dei? At illa inquit: Adduc michi hominem de terra tua, cuius factis et dictis fidem habere possis! At ille adduxit. Deinde decepti socio precepit decem cofros exterius preciosis depictos coloribus atque ferro deargentato ligatos cum bonis serraturis emere et ad domum sui hospitis afferre lapidibusque comminutis implere. At ipse ita egit. Mulier uero ut uidit omnia illa que preceperat esse parata ait: Nunc decem homines perquire, qui euntes ad domum illius qui te decepit mecum et cum socio tuo deferant cofros, 'unus post alium uenientes ordine longo'; et quam cito primus uenerit ad domum illius qui te decepit et requiescet ibi, ueni et interroga pecuniam tuam! Et ego tantum confido in deum quod redita tibi tua pecunia erit. At ipse sicut uetula iusserat egit. Que non oblita incepti quod predixerat iter incepit. Et uenit cum socio decepti ad domum deceptoris et inquit: Quidam homo de Hispania hospitatus mecum fuit et uult Mech adire; queritque antea pecuniam suam que est in decem cofris seruandam alicui bono homini donec reuertatur commendare. Precor itaque ut eam mei causa in ede tua custodias: et quia audiui et scio te bonum hominem esse et fidelem, nolo aliquem alium preter te solum huius pecunie commendacioni adesse. Et dum ita loqueretur, uenit primus deferens cofrum, aliis a longe iam apparentibus. Interim deceptus preceptorum uetule non oblitus post primum cofrum sicut ei preceptum fuerat uenit. Ille uero qui pecuniam celauerat, plenus nequicia ac mala arte, ut uidit hominem uenientem cui pecuniam celauerat, timens ne, si pecuniam requireret, alius qui adducebat suam pecuniam non committeret, contra eum ita dicendo perrexit: O amice, ubi fuisti et ubi tantum diutinasti? Veni et accipe pecuniam tuam mec fidei iam diu commendatam, quoniam inueni et amodo tedet me custodire illam! At ille letus atque gaudens recepit pecuniam gracias agens. Vetula autem ut uidit hominem pecuniam habentem, surrexit atque inquit: Ibimus ego et socius meus contra cofros nostros et festinare precipiemus. Tu uero expecta donec redeamus et bene serua quod iam adduximus! Ille autem letus animo quod acceperat seruauit aduentumque eorum — quod adhuc potest — expectauit. Et ita bono ingenio uetule reddita fuit uiro summa pecunie.

Discipulus: Istud mirum fuit ingenium atque utile, nec puto quod aliquis philosophus subtilius cogitaret per quod leuius uir pecuniam suam recuperaret. Magister: Bene posset philosophus suo facere naturali ingenio et artificiali, secreta eciam nature rimando, quod mulier solo fecit naturali ingenio. Discipulos: Hoc bene credo. Sed si aliquid philosophorum huiusmodi reposuisti in cordis armariolo, largire michi discipulo, et ego fideli memorie commendabo, ut quandoque condiscipulis lacte philosophico educatis delicatissimum largiri possim alimentum. Magister:

Exempl. XVI: De decem tonellis olei. Contigit quod quidam homo habuit filium, cui post mortem suam nichil preter domum dimisit. Iste cum magno labore corpori suo uix eciam que natura exigit suppeditabat, et tamen domum suam licet magna coactus inedia uendere nolebat. Habebat autem puer iste quendam uicinum ualde diuitem, qui domum pueri emere cupiebat ut suam largiorem faceret. Puer autem nec prece nec precio uendere uolebat. Quod postquam dies ille comperit, quibus ingeniis et quibus artibus puero subtraheret domum cogitauit. At iuuenis secundum posse suum familiaritatem eius deuitauit. Denique contristatus dies ille causa domus et quod non posset puerum decipere, quadam die uenit ad puerum et inquit ei: O puer, accommoda michi paruam tue partem curie precio, quoniam in ea sub terra decem tonellos cum oleo custodire uolo, et nichil tibi nocebunt, et habebis inde aliquod sustentamentum uite. Puer autem coactus necessitate concessit et dedit illi claues domus. Iuuenis uero interim more solito liberis liberaliter seruiens uictum perquisiuit. At dies homo acceptis clauibus curiam iuuenis suffodiens quinque tonellos plenos oleo ibi recondidit et quinque dimidios. Et hoc facto iuuenem aduocauit clauesque domus illi tribuens ait: O iuuenis, oleum meum tibi committo atque in tua custodia trado. Iuuenis simplex putans omnes tonellos esse plenos in custodia recepit. At post longum tempus contigit quod in terra illa oleum carum fuit. Dies hoc uidens puero inquit: O amice, ueni et iuua me oleum effodere quod tuo iam dudum mandaui custodie, et laboris premium accipies et tutele. Iuuenis audita prece cum precio diuiti concessit, ut secundum posse suum eum iuuaret. Dies uero non

oblitus fraudis sue nequissime adduxit homines, ut oleum emerent. Quibus adductis terram aperuerunt et quinque plenos tonellos et quinque dimidios inuenerunt. Perceptis talibus aduocauit puerum ita dicendo: Amice, causa tue custodie amisi oleum: insuper quod tibi commisi, fraudulenter abstulisti. Quapropter uolo ut mea michi restituas. His dictis eum accepit et uellet nollet ad iusticiam deduxit. Iusticia eum uidens accusauit, sed iuuenis quid contra diceret nesciuit. Sed tamen inducias unius diei quesiuit. Quod iusticia, quia iustum erat, concessit. In ciuitate autem illa morabatur quidam philosophus, qui cognominabatur Auxilium Egencium, bonus homo atque religiosus. Iuuenis autem audito bonitatis illius preconio perrexit ad eum quesiuitque ab eo consilium dicens: Si uera sunt que multis referentibus de te michi dicta sunt, more domestico fer michi auxilium; etenim iniuste accusor. Philosophus audita prece iuuenis interrogauit si iuste uel iniuste accusarent eum. Iuuenis uero quod iniuste accusaretur, firmauit sacramento. Audita rei sinceritate philosophus pietate commotus ait: Auxiliante deo feram tibi auxilium; sed sicut a iusticia respectum usque in crastinam diem accepisti, quin eas ad placita dimittere noli, et ero ibi paratus succurrere tue ueritati atque eorum nocere falsitati. Iuuenis autem quod philosophus ei iusserat egit. Mane autem facto uenit philosophus ad iusticiam. Quem postquam uidit iusticia, ut sapientem et philosophum uocauit uocatumque iuxta se sedere fecit. Inde iusticia uocauit accusantem et accusatum et precepit quod suorum recordarentur placitorum; et ita fecerunt. Illis uero sic coram astantibus iusticia ait philosopho quod causas eorum audiret et inde iudicium faceret. Inde philosophus: Precipe nunc, iusticia, clarum oleum de quinque tonellis plenis mensurari, et scias quantum sit ibi clari olei; et similiter de quinque dimidiis, et scias quantum clari olei ibi fuerit. Deinde spissum oleum de quinque plenis tonellis sit mensuratum, et scias quantum spissi olei fuerit ibi; et similiter de quinque dimidiis facias mensurari, et scias quantum spissi olei in eis sit. Et si tantum spissi olei inueneris in dimidiis tonellis quantum et in plenis, scias oleum fuisse furatum. Et si in dimidiis tonellis inueneris talem partem spissitudinis qualem oleum clarum ibi existens exigit, quod quidem et in plenis tonellis